

Sin argumentis adversæ partis evictus, iudicium illud aut esse falsum comperiet, aut ejusmodi esse, ut ei falsum subesse possit; quid eum prohibet citra omne peccatum aut dissentire, aut assensionem cohibere?

Hæc argute nonnulli disputant hujus ætatis sane leves Theologi; qui rem acu tetigisse videntur imperitis, cum ita pronuntiant, solemne festum immaculati Conceptus rem esse meræ disciplinæ, quæ mutabilis est, nec objectum, quod colitur, certo esse verum admodum quærit; cum satis sit verum id esse probabiliter. Quod autem est verum probabiliter, ex rei natura esse falsum potest. Itaque falsum poterit esse, quod recte colitur ab Ecclesia: quæ proinde errabit quidem re ipsa in cultu publico deferendo, errore tamen innoxio; quem materialem dicere solent. Ita argumentum quod jam inde a Sixti Quarti temporibus ad confirmandam piam sententiam adhibebatur egregie, istorum commento, quod antiqua ignoravit Theologia, labefactatur. Contra quos gravis futura nobis hoc loco est disputatio.

VI. Sit itaque propositio: Ecclesia universa in deferendo publico cultu ad religionem pertinente errare non potest. Hanc ego propositionem magnis quidem argumentis confirmaturus sum, quæ causam decernere ita possint, ut inter Catholicos ultra referri quæstio nequeat. Cultus Dei, atque Sanctorum mandato Pontificis toti Ecclesiæ propositus, ab eaque obedienter, & rite delatus, est aperta professio fidei Christianæ, ut D. Thomas (a), ac Theologi omnes consensu docent. Si enim actus virtutum moralium, cum ab homine Christiano referuntur ad Deum, continent fidei professionem, quod fide docemur, eisdem præcipi a Deo, iisque præmium rependi; quanto id magis de actu religionis censendum est, quæ virtus est maxima, & cum ad illas Theologicas, quæ in baptismo nobis dantur a Deo, proximè accedit, tum earum præcipue testis est, atque nuntia. Atqui in fidei professione errare non potest Ecclesia universa, cui nem-

pc

(a) *Secunda sec. quæst. 93. art. 2.*